

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

III.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

in Domino & Christum & publicam pacem prout facis ama, mi Erasme. No-
riburga, 5. Junii, 1522.

Fabritius Capito

tuis ex animo.

III.

Joannes Cochlaeus, Dresdæ, 13. Martii, 1529.

Erasmo.

S. P. Venerabilis Domine Erasine; quæ huc misisti, accepi reverenter omnia
& reddidi fideliter. Dolemus quidem, tuò ære tam longè mittendum fuisse
nuncium proprium, sed mihi longè magis dolet, fieri tibi negotium, non solum ab
Eppendorfio, verum etiam à Carrino, quem Francofurdiæ olim vidi. Contemne ob-
secro hujusmodi osores, quid enim nocere tibi possunt? Lutherus non solum mino-
res, quales in Germania multi mecum sunt, sed & magnos adversarios callide conte-
mnenis, negotium suum peragebat ad populum, donec impelleret, quo volebat.
Tibi tantum jamdiu nomen est in Orbe terrarum, ut ne doctissimi obscurare queant.
Habes domi plures ministros & Amanuenses, qui honorem tuum ab ejusmodi bate-
ronibus egregie defendere queant, ut non sit opus, te propter eos vel unam perdere
horam. Agnosce quælo te ipsum, aut DEI potius in te dona. Non decet te, cui
eruditæ omnes verticem inclinant suum, ita descendere, ut congregari tam obscuris
juvenibus, qui ex te gloriam querunt. Longè sublimiora expectat Orbis abs te, quæ
nemo alijs præstare potest. Longè dignior es, quam ut contendas, aut etiam aliena
opera in Typographia emendare satagas, cum sit tibi tanta & tam copiosa à DEO
gratia ad opera propria scribenda. Despice quæso quoslibet rabulas, sive Hispani
sint, sive Galli, aut Germani, perge in scribendis novis, quæ nemo alijs scribere pot-
est. Quantum valeas copia & eruditione in sacris literis uberrime tractandis ac la-
tissimis expositionib; variè illustrandis, in Psalmis aliquot mirè ostendisti. Si des-
veniam temeritati meæ, scribam tibi secretum votum meum. Rogavi olim, ut com-
pendiosè complectaris omnes bonas artes, quibus juventus erudiri debeat, nunc ar-
dentiori voto rogarem, si permetteres, ut sacras quoque literas compendiosius expo-
neres. Saltem aliquot libros, ut obvius & certus foret intellectus, iis, qui festinant
omnes Bibliorum libros citè addiscere. Liranus nimis artius est. Hieronymus
nimis prolixus, & in interpretationum varietate sollicitus. Utinam DEUS det no-
bis Erasimicam expositionem familiarem aliquam & compendiosam. Non veteren-
tur novi Evangelistæ, vix benè puberes, te sciem tam celebrem ac Orbi universo ve-

ACCLAM.

merandum, conviciis & calumniis incessere. Mihi profecto religio est literis meis ullam sanctis & singularibus, quae tibi uni à DEO concessa videmus, studiis morulam, quamlibet minimam, facere. Contemne obsecro vanos quorumcunq; latratus, perge in operibus tuis, quibus nulla nocere potest invidia, & quæ nullus præter te scribere potest. Jube minores & ministros tuos respondere magnibus indignis, ut digniora tractes ipse. Quirinus tuus poterit eos dignistrare modis, aut si libeat magis, sub Coci tui nomine edatur aliquid, quod honorem tuum egregiè defendat, illosque insigniter irrideat & contemnat. Digni non videntur, quos tu vel laudes vel vituperes. Hæc prolixius, quod doleo, ullam dari occasionem morandi studia tua. Quod cum D. Cancellario ad te non scripsi, factum est, quod nesciebam, primum ab eo ad te scriptum esse, post obsignatas literas suas dixit, se literas, quæ ad te pertinuerent, Argentoratum mittere & erat in procinctu nuncius, verebar item ne aberrarent literæ Argentorati, scripsi autem paulò post, ut ex Lipsia Basileam ferrentur ad te & ad D. Sichardum literæ. Mihi nunc satis periculosa est cum Lutherò contentio, habet enim & hic suos fautores, quibus parum placent, quæ pro ecclesia contra illum scribuntur. Princeps quidem integerimus est, sed non omnes habent eundem animum. Non audeo literis committere omnia, neque expedit, ut D. T. ad me secreti aliquid scribat, quamvis maximè vellem in sinum tuum omne secretum effundere, si tutæ essent ab insidiis literæ. Sed nusquam tutæ fides. Nec mihi redditæ sunt literæ tuæ proximæ, de quibus scribis. Quod duabus sedeo sellis, temporum facit iniquitas, Essent mihi quidem etiam bis duæ sellæ, una Romæ inter pœnitentiarios Papæ, altera Francofurti in Decanatu B. Virginis. Tertia Moguntiæ. Quarta Dresdæ. Sed ea est temporum conditio, ut nulli satis confidenter insidere possim: Neq; tamen valde angor, quæ cunque mihi fortuna contingat, modo mihi salva permaneat anima in fide catholicæ, de corpusculo fiat, quod DEO aut etiam hostibus meis, si in rem sit Ecclesiæ, visum fuerit. Princeps hic meus plerunque corripitur febre: Laborat nunc ex altero crure, per quod venenum, quo intoxicatus fuerat, erupit. Qui si moreretur hoc tempore, nihil foret Clero hujus patriæ miserius.

Quod titulum ad Morum correxi, plurimam tibi habeo gratiam, & gaudeo libellum illum, qualisunque sit, editum esse, si non profit multum, dabit saltem occasionem, diligentius inquirendi de consulum serie. Maluisse meam totam Epistolam à te correctam, scripseram enim festinanter, nec ullum mihi ejus exemplum est. Cæterum quod plerunque scribis nomen meum Cochleius, suspicor erratum esse in Orthographia, dum scribo: Cochlaeus, & certe nomen hoc non amo, neque tamen video, quomodo mutare queam. Inditum est mihi Coloniæ olim à Romaelo Poëta, quem tibi notum esse arbitror. Harrisius autem Anglus vocabat me Wendelstinium, quod gratius esset, nam patria mea

mea prope Nurebergam vocatur Wendelstin. hoc est, cochlea. Sed valeat hæc curiositas, semel tamen hac de re vel simplicitatem vel errorem meum tibi scribere libuit, ut æquo feras animo errorem. Alioqui nulla mihi de nomine cura est, nisi de eo, quod in libro vita scribitur.

In iis, quæ scripsisti in Espend. connumeratur Dorpius Læo & Stunica, quod equidem demiror, cum videaris Dorpii quam amantissimus, & ille tui studio-
sissimus fuerit, quantum ex tuis intelligere licuit. Volebam tibi non nihil scri-
bere de Wittenbergâ, eo enim nomine missus erat à Dn. Cancellario & à me
nuncius illuc cum literis Typographi nostri & cum literis meis ad Philippum
Melanchthonem, ad quem literas habebat nuncius tuus, quas eo libentius &
diligentius ei reddendas curavi, quod non satis sciebam, an fortè à te datae sint,
nolui eas violare, etiam si mihi forent capitales. Sed non remisit ad me nun-
cium D. Cancellarius, quod tamen rogavi & ipse adhuc heri pollicitus fuerat
mane, sed oblitus est forsitan. Absolvit nuncium tuum, me non præmonito,
licet jusserit, ut me prius accedat, antequam abeat. Non placet ei, quod con-
tra Lutherum pro ecclesia quædam defendere studio, vellet liberum esse conju-
gium sacerdotibus, facereque ait contra Apostolum & ecclesiam eos, qui prohi-
bent nubere. Utramque speciem & panis substantiam in sacramento adpro-
bare videtur. Et in summa videtur multis Lutheranis dogmatis propensior,
quam velit clerus. Hæc secreto. Certe propter septicipitem, quem libentissi-
me mitterem, si illum recepisse exemplar, murmurant plerique, licet librum
nondum viderint, sed ego corpusculum & fortunas externas jampridem peri-
culo devovere destinavi: fiat voluntas Domini. Mitto libellum unum, quem
Bero integerrimo viro & doctiss. Theologo exhibere velis. Vellem certe & tu-
um super dissidio exemplarium judicium, sed non audeo petere, ut barbaris
scriptis meis vel minimum impendas horulae momentum. Vellem, si quando
habeas certum ad Principem meum nuncium, ut literas ad me includeres lite-
ris Principis, aut saltem nihil scribe secreti. Utinam detur occasio, qua tibi
servire ullo pacto queam. Si tibi migrandum sit, non scio commodiorem tibi
locum, quam Coloniam Agrippinam, tu pro tua prudentia optimè scies, quid
tibi faciendum sit. Bene vale, clarissime & maxime venerande Præceptor &
summe rectæ eruditionis Antistes. Ex Dresdâ, 13. die Martii, 1529.

Commendo me doctiss. & honestiss. viris, D. Bero & B. Rhenano. atq; etiam
D. Sichardo, si Basileæ est, quod non puto.

Ex animo addictus nomini & virtuti tuae

Joannes Cochlaeus.

LIII

IV.